



**Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XVII. Pudicissimis duab. sororib. impudicitiae impressa nota,  
diuinitus eluitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

periculo, miseresceret. Eius precib. mota, pietatis regina, dixit, fortis animo, Hieronyme, & posthac te contra Satanae dolos constatiūs, & ualidiūs munias, & obfirmes; nec finas te in huiusmodi errores amplius deferri. Non. n. à me unquam desereris. Quintam statim è Hieronymo sublatis vinculis, cacodemon, solo Virginis nutu, ad eādem catenā obstrictus est. Itaq. matutinarum precationum tēpore ea omnia diligenter monacus praestitit; quae ab aedituo, & sacrarij praefecto solent exigi. Vbi in templum coenobitae uenere, uasa integra, & ibidem munere suo Hieronymum fungentem uident; quem ipsi adhuc columnae uinctum credebant. Recta autem ad columnam euntes, illic generis humani captiuum hostē periunt; qui, cūm diu ab illis, & multū uapulasset; striore maximo effugit. Deniq. uero rem omnem Hieronymus ab origine omnib. exposuit.

## MIRAC. VIRG. VII.

*Pudicissimis duab. sororib. impudicitiae impressa nota, diuinities eluitur.*

**P**AUPERRIMA mulier, quae Virginem sanctissimè colebat, & augustè uenerabatur duas filias, quas habebat, ei dicauit, ad eius cultum ipsarum animos, & menteis maxima diligentia instituēs; & confirmans. Sed quia dubitabat, ne ob paupertatem, illarum puritas periclitaretur, eas ante Virginis facillum ipsi Virgini cōmendauit; huncq. habuit sermonem: Regina, mulierum gloria, feminarum decus, hasce

hasce Virgines puellas tuac permitto fidei , & tuā in  
clientelam dico, ut tu quae opus sunt, clementia tua  
illis suppedites ; quando mihi inopi deest , unde illas  
alam . His dictis filiarum dexteras Virginis imaginis  
dexterae; ut sanctum foedus probaretur , adiunxit .  
Domum uero ipsae redeentes, iuuenem ante ostium  
reperiunt , cuius splendor , quam solis radij , clarior  
erat , à quo ipsarum paupertas quibusdam nummis  
subleuata est. Quod ubi ab inuidis , & maledicis re-  
scitum est, eas meretrices esse iactabant , quae impu-  
dicè quaestum caperent . Mater autem filias hortata  
est, ut Dei matrem adirent; eamq. rogarent , uti falsò  
impressam illam notam deleret . Eius dicto iam ipsae  
obtemperauerant ; cum festo quodam die Angelus è  
coelo descendens , eas in via stanteis in maxima po-  
puli frequentia duab. coronis, florib. consertis , quae  
suauissimum odorem expirabant, donauit, haec uer-  
ba dulci sono locutus: Haec uobis munera Virgo Dei  
mater mittit ; ut certissima apud omnes uirginitatis  
uestrae documenta, & manifesta signa sint . Obstupe-  
scens populi, & illius prouinciae princeps, duo Virgi-  
num coenobia ad perpetuā coeli reginae memoriam  
exaedificarūt , quib. ipsas sorores posteà praefecere.

## MIRAC. VIRG. XVIII.

*Pudica, & proba mulier inique condemnata, capit is pericu-  
lo liberatur.*

**P**UDICAM uxorem , & Virginis studiosam adulter-  
maritus, & libidinosus maximo odio prosequ-  
batur,